



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt IV. Patrum sententiae de Matrimonio, ac praesertim de clandestino irrito reddendo, & liberorum contractu, absque parentum consensu; & de vinculo dißoluendo adulterij causâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

1563. ad eam defendendam confecta, dubitationem omnem detergi. Præfides à Iudicibus petierunt, vt suam quisque sententiam scripto breuiter traderet, quò forma iudicij seruarietur: & Veneti Oratores cursorem illicò ad Senatum misere, quò de euentu eum facerent certiozem. Legati quoque de eodem scripserunt ad Pontificem^b, qui postea scriptis responditⁱ, Vt quod æquum erat perageretur. Quare subsecuto mense lata fuit de Grimano sententia, quemadmodum ostendemus: sed per euentum illi similem, quo quispiam calculi doloribus diu afflictatus, ac postea ob vnum grandioris molis calculum extractum ingenti affectus lætitiâ, adhuc tamen alios inter intestina ignorans retinet, quibus insanabile & impedimentum & tormentum ipsi perdurat.

^bLitteræ Borrom. ad Legat. 25. Augusti 1563.
ⁱ 17. Septembris 1563.

Interim oportet vt ab alijs externis negotijs, quamquam ad Synodum spectantibus, narrationem ad ea reuocemus quæ in Synodo & à Synodo agitabantur.

C A P V T I V.

Patrum sententiæ de Matrimonio, ac præsertim de clandestino irrito reddendo, & liberorum contractu, absque parentum consensu; & de vinculo dissolueno adulterij causâ.

CVM haud intermissâ solertiâ per tot menses in cœtibus minorum Theologorum, & in peculiaribus Patrum conuentibus, de Sacramento Matrimonij, ac de ipsius abusibus disputatum esset, digestique Canones & Decreta, post Sessionem in maximo Conuentu sententiæ explicari cœptæ: consumptisque in eo quatuordecim cœtibus, tandem postremo Iulij die collectæ suntⁱ. Plurimum supra reliqua disputatum & concertatum est, irrita nec ne declaranda essent matrimonia clandestina. Et quamquam Suis aliter recensent numerum sententiarum, innixus litteris Vicecomitis^b ad Borromæum; tamen Legati scripserunt, centum supra quadraginta quatuor voluisse vt ea irrita redderentur, aut aliquid confimile, cuiusmodi fuisset, homines inhabiles reddere ad hac ratione contrahendum; reliquos verò antiquæ consuetudini inhærisse: quam posteriorem sententiam dicebantur etiam secuti Osius & Simonetta^c, & Moronus inter vtramque anceps hærisse; sed ipsis non nisi in Sessione suffragio vtendum erat. Fieri tamen potuit, vt ambiguitas quorundam Episcoporum in sententia proferenda, ansam præbuerit, vt vario modo numerarentur. Verùm nec Patribus nouam legem promouentibus satisfecerat

^a Acta Arcis Æliæ. Diarium vltimo Iulij, & litteræ Legatorum ad Borrom. eodem die.
^b 2. Augusti 1563.

^c Constat ex epist. Vicecomitis ad Borromæum 12. Augusti 1563.

exam-

exemplum Canonis, à selectis eius formatoribus confectum. Quare iniunctum ipsis fuit, ut illud mutarent; ac postea publicæ trutinæ rursus expositum. Quædam scitu digniora hîc decerpam ex ijs quæ dicta sunt in tam celebri disputatione, quæ præcipuum fortasse Decretum peperit, quod in rerum ferendarum argumentis è Tridentino prodierit. Ad id verò lucem afferent partim Acta authentica, partim Acta Paleotti, quæ duo monumenta summatim referunt præcipuas dissertationes; partim quædam sententiæ, quas ad verbum descripsit Argentius, de quo aliàs mentionem habui; partim etiam Acta Salmanticensis Episcopi, & aliorum narrationes, qui tunc interfuere.

1563.

2 Ac primò quidem in deliberationem venit vnicum emendationis Decretum, ad calcem digestorum Canonum apponendum.

*d. Acta Arcis
Ælie 10. Iulij
1563.*

Et sicuti damnabatur per Canones is qui negaret vim huiusmodi coniugiorum, quæ antea contracta fuerant; ita in Decreto eadem vis tollebatur in posterum tum coniugijs contractis absque tribus saltem testibus, tum celebratis absque consensu genitorum, dummodò mas decimum octauum annum non pertingeret, & femina decimum sextum. Quòd facilius huiusmodi Decretum redderetur, emendationis, non definitionis modo positum fuerat. Etenim, sicut alibi animaduertimus, consuetum non erat, ut in Synodo vllum dogma statueretur, vbi complures dissentirent; at verò ad reparationem morum fanciendam non nisi plura suffragia quærebantur: quapropter Legati iam vsque à suffragatione primò habitæ, quasi per præfagium Romam nuntiarunt, si Decretum per modum meræ legis proponeretur, benè progressurum; si per modum dogmatis, in óbices incursum: atque hinc postea effectum est, ut in conuentu noua controuersia coorta fuerit de ipsius controuersia statu; videlicet, an eiusmodi Decretum complecteretur dogma nec ne: de quo diutius disputatum est.

*e. Litt. Legat.
ad Borrom.
ultimo Iulij
1563.*

3 Decretum sæpius ad limam reuocatum, ac initio erat eiusmodi, ut tres testes fide dignos præsentis postularet absque sacerdotis præsentis necessitate; quod postmodum, antequam finis inueniretur dicendis sententijs, Galli flagitarunt. Decretum quod primò selecti Patres formarunt, sic habebat: *Sacro sancta Dei Ecclesia, Spiritu sancto afflata, animaduertens magna incommoda, & grauiâ peccata, quæ ex clandestinis coniugijs ortum habent, præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum sæpè priore uxore, cum qua clam contraxerunt, relicta, cum alia palàm contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio viuunt, aliàs grauisimis pœnis ea prohibuit, eademq; tamen irrita*

H h h h 3

2011

1563. non fecit. Sed hæc sacrosancta Synodus, cum animaduertat, remedium illud propter hominum inobedientiam huc usque parum profuisse, decernit, ut in posterum matrimonia illa, quæ clam contrahuntur absque tribus testibus, irrita sint, quemadmodum presenti Decreto irrita facit. Præterea eadem Synodus irrita facit ea matrimonia, quæ contrahentur à filiis familias ante annum decimumoctauum completum, & à filiabus ante decimum sextum completum, absque genitorum consensu, remanentibus tamen in suo robore alijs legibus, contra matrimonia clandestina promulgatis.

f Acta Arcis
Æliæ.

Posteà die septima Augusti ^f idem Decretum aliam in formam ita redactum, Conuentui propositum est: Præcipit sancta Synodus, ut cuncta persona, quæ in posterum audebunt contrahere matrimonium, aut sponsalia, absque presentia saltem trium testium, sint inhabiles ad eiusmodi matrimonia aut sponsalia contrahenda; adeoq; cuncta ab ipsis gesta ad matrimonium, aut ad sponsalia contrahenda, irrita sint, sicuti presenti Decreto irrita redduntur.

De filiis familias ita variatum est, ut marium coniugium absque consensu parentum esset irritum ante annum vigesimum; feminarum verò ante decimumoctauum completum, nisi ubi parentes, rogati ipsorum consensum ad nuptias honestè expetitas à filiis, iniquè, iudicio Præfulis, dissentirent; filij verò obtentà à Præfule facultate matrimonium contraherent.

Lotharingus, qui primus omnium sententiam dicebat, die vigesimo quarto Iulij præmisit, conuersus ad Patres; Graui onere ipsos fuisse leuatos à minoribus Theologis, à quibus ante Sessionem de illo matrimonij themate disceptatum fuerat. Suasit, ut ad Canones propositos alius adijceretur, ubi damnaretur opinio Caluini, docentis, Ob diuersam religionem, aut ob affectatam coniugis absentiam, aut ob molestum coniugum conuictum, matrimonij vinculum dissolui. Quod tunc quadraginta solum Patribus probatum est ^g, sed posteà reliquis consentientibus acceptum. De clandestinis dixit: Quamuis non expenderentur offensæ, quæ in Deum inde proueniebant, sed solum ciuilibus status detrimenta, liquidò cognosci, non vtilitatem modò, sed extremam necessitatem ea irrita faciendi. Præterea, omitti cuncta bona, quæ in Rempublicam redundant ex legitimorum coniugiorum institutione, & ex vagorum prohibitione. Quatuor numerari huiusmodi bona: Cognationum vnitatem, Fidem coniugalem, Beneficium prolis, & Gratiam Sacramenti. Amitti maritalem fidem, dum alter coniugum, arbitrato suo potens nodum coniugalem negare, sæpè illum, si non coram Deo, ante conspectum hominum præcidebat, atque adul-

g Diarium
Seruantij
23. Augusti.

adulteram quasi vxorem impunè in torum inducebat, vxore veluti concubinâ repulsâ. Præterea, Ecclesiæ occasionem frequenter præberi reiiciendi veri coniugij, & adulterij tamquam veri coniugij comprobandi. Bonum prolis amitti; quandoquidem sæpè contingebat, liberos legitimos despici tamquam nothos; nothos verò tamquam legitimos anteferri: ac denique, ob tam graue delictum, Sacramenti gratiam in sceleris sordes conuerti. Optari à se in Decreto, vt præter solemnes alios ritus opus esset ad vim Sacramenti etiam sacerdotis benedictio. Quando hæretici volebant, vt impij ipsorum ministri nuptijs bene precarentur, multò conuenientius id agendum in Ecclesia Catholica, in qua veri sunt Dei ministri, veri que sacerdotes.

6 Irrita similiter esse reddenda matrimonia contracta à filijs absque parentum voluntate, sicuti Decretum præscribebat. Notum esse naturæ lumine, munus esse patris, filio vxorem dare, & idcirco legi sæpius in antiquis comœdijs, quæ vniuersales ac naturales sensus expriment, *Ego tibi vxorem dabo*. Idque pariter haberi in exemplis sacræ Scripturæ, vbi semper constat, filias fuisse à patribus in matrimonio collocatas. Si vellent fortasse parentes, assensu non præstito, eas cogere aut ad claustra subeunda, aut ad contrahendum coniugium cum viro ipsis displicente, posse ab Episcopo huic rei prospici. Vnum in hac parte Decreti mutandum proposuit; nimirum, cum hæc auctoritas vtrique parenti tribuenda non esset, loco vocis, *Parentum*, diceretur potius, *Patrum*. In Iure ciuili etiam, secundum eius leges, quæ trahunt originem à Christianis Imperatoribus, velut à Theodosio, à Valentiniano, & à Iustiniano, reperiri disertè prohibita eiusmodi matrimonia, quibus desit patris permissio; quibus prohibitionibus Episcopi & Concilia nunquam repugnant: posse igitur id fieri, & esse opportunum vt fieret.

7 Contraria opinatus Madruccius, dixit; *Causas à se non conspici*, cur Ecclesia post continuam tot sæculorum consuetudinem ad rem adeò nouam adducenda esset: corruptelas potius reparandas, quàm ijs conditionibus interdictis, quibus hæc matrimonia sæpè noxia reddebantur, quàm seueris ad id pœnis inflictis.

8 Hanc sententiam complexus est Ioannes Triuifianus Venetiarum Patriarcha, qui non condecetiam modò, sed potentiam negauit, arguens, irritam reddi non posse quamdam Sacramenti rationem, in qua tota insit ipsius natura, tametsi ritus debiti desint; sicuti, exempli gratiâ, quamuis sacerdos consecret absque

orna-

1563.

ornatu sacro, verum Sacramentum conficit, dummodò materia cum forma coniungatur. Cùm igitur natura matrimonij sita sit in mutuo consensu sensibus subiecto, solumque postulentur reliqui ritus aut ad decorum, aut ad probationem; ab eorum vacuitate (opponerat ille) coniugij vim auferri non posse: minus quoque irrita effici posse matrimonia, contracta à filijs familias absque parentum voluntate, cùm per hoc libertas ab illis tollatur, accepta ab ipsa natura. Quod si hæc eos reddit idoneos ad copulam, cùm femina duodecimum annum complet, & mas decimum-quartum; iuri naturali obsisti, si genitoris arbitrio permittatur prorogatio huiusce temporis ad decimumsextum, & decimum-octauum annum. Hæreticos quidem esse qui vim vtrique ex his coniugijs inficiantur, aduersus quos Canones & anathemata parabantur: quare perinde fuisset ea irrita facere in posterum, ac improbis illis assentiri.

Alia fuit Granatensis opinio: Potuisse quidem irrita fieri ab Ecclesia etiam coniugia prius contracta ac firma, ex iure diuino, cuiusmodi erant inter infidelem & fidelem; multò magis id ab ea fieri posse in contrahendis. Pro certo haberi, in ipsa potestatem inesse impedimenti inducendi inter eos, quibus antea id liberum erat ex quouis alio iure. Exemplo sit impedimentum ex affinitate per sacram actionem inducta, quæ iuræ legis Ecclesiasticæ vinculum est. Pœnitentiam quoque Sacramentum esse; & tamen sublatam fuisse ab Ecclesia efficacitatem absolutioni, quæ ab alijs quàm à proprio Pastore impertiretur. Dubitationem igitur non in potestatem cadere, sed in huiusmodi constitutionum opportunitatem; hanc verò sibi maximam videri, ob incommoda ab alijs adducta. Quod hoc nouum esset, nihil obstare: si tale obiectum valeret, aiebat, confectum iri, nullam vniquam sanctionem nouam esse statuendam; id verò nimium repugnare regimini, quod postulat rerum humanarum vicissitudo.

Castanea Rossanensis Archiepiscopus ita differuit: Dubitationi¹⁰ subijci, an hæc esset in Ecclesia potestas, eoque posito, tamen communior Theologorum opinio eam potestatem admitteret, ab ea quæstione Concilio abstinendum esse: ad abstergendam dubitationem non valere producta exempla aliorum impedimentorum, quæ induxit Ecclesia; ea siquidem in illis ineptas ad contrahendum inter se reddit duas personas, quæ antea erant aptæ: sed in re præfenti, permanente habilitate in personis, adiectus fuisset naturæ Sacramenti modus quidam, ipsam antea non constituens: vtrumque

id foret, fieri non expedire, tum ne occasio daretur hæreticis destruendi Sacramenta, tum quia prioribus sæculis id factum non erat, quamvis tunc eadem causæ militassent. Quod spectabat ad filios, animaduertit, à iuvene e patria sua egresso parentis assensum haberi non posse; adeoque si prohiberetur eo non obtento vxorem ducere, in proximo violandæ castitatis periculo illum perstiturum.

11 Hæc sententia à Fuscarario impugnata est. Ad credendum, inesse in Ecclesia eam potestatem, abunde sufficere auctoritatem tot tantorumque Theologorum, qui ad Synodum conuenerant, & illam concedebant; & eorum aliquem dixisse, tutum non esse secundum Fidem eam denegari. Quodcumque genus rerum, quæ Republicæ partes sunt, esse in potestate Republicæ, quæ totum est; proinde debere partes illi inservire, ac se accommodare. Iam verò inter humanæ Republicæ partes numerari hominum corpora; posse igitur ab ea leges condi, quibus corpora, prout censuerit opportunum, disponat. Antequam matrimonium esset Sacramentum, fuisse in Republica huiusmodi potestatem; nec idcirco credendum esse, ex eo quòd tam præcipuus ac tam frequens contractus ad eminentiam Sacramenti euectus fuerit, euasisse in Republicæ detrimentum, ereptâ illi facultate in eo sibi consulendi: posita eius potestate, perspicuè conspici necessitatem ex tam multis ac tam grauibus incommodis; quibus vt efficaciter occurreretur, oportere vt inter testes præscriptos etiam Parochus adesset.

12 Antonius Cerronius Episcopus Almeriensis auctor fuit, vt clandestina irrita declararentur, & sic arguebat: Si potest Ecclesia duos homines ineptos reddere ad quouis modo contrahendum, sicuti ab ea in alijs Ecclesiastici iuris impedimentis actum fuerat, longè maiorem in ipsa facultatem inesse, quàm ipsos ineptos reddat ad certo quodam modo contrahendum. Non irrita fieri ab illa per hoc Decretum matrimonia postquam Sacramenta sunt; sed obicem induci, ne vera matrimonia, adeoque etiam ne sint Sacramenta. Non probauit vt inter testes numeraretur Parochus; neque pariter, vt ponerentur ea verba, ab aliquo expetita, *testes fide digni*: innumerabilium siquidem coniugiorum efficacia redderetur ambigua. Posteriores partes reiecit, ad filios familias spectantem, nisi varijs restrictionibus coarctaretur, vt quæ libertatem se coniungendi adimebat, quæ à priori non tollebat.

13 Martinus Rithouius Belga Iprensus Antistes initium duxit à confessione timiditatis suæ, quæ sibi negabat solutâ ac securâ manu ad opus adeò nouum adeoque magnum progredi; Sanctiones Ecclesiæ in

1563.

certo fundamento firmius esse, ne fideles in anxietate versentur aut interiorem conscientię legem, aut exteriorem Ecclesię transgrediendi: & tamen certum esse, non esse certam hunc potestatem in Concilio, reddendi irrita matrimonia occulta: à compluribus Theologis, qui ibi aderant, id negari, & ex affirmantibus alias ab alijs rationes afferri, & alterius ab altero rationem confutari. Vnde in comperto erat, rem in nebuloso, non in fudo versari. Oportere Synodi sententijs auctoritatem infundi à coniunctione, & ea quidem animorum, non corporum, quę sine altera nihil valet ad ipsas firmandas: iam verò in eo argumento conspici animos valde diuisos, quando complures sufficientem iurisdictionem, complures sufficientem causam non agnoscebant. Argumenta, quę pro huiusmodi iurisdictione adducebantur, esse debilia; & primo loco, nihil conuinci ex simili ordine Magistratus profani, qui potest efficaciam auferre politicis contractibus, vbi desint solemnes ritus ab ipso præscripti. Huic potestati tantummodò locum dari in bonis exterioribus & in ijs rebus, quę Reipublicę dominatui subiacent, non in ijs quę homini debentur iure Naturę, cuiusmodi est facultas se per matrimonium consociandi; quod idcirco nec filio à patre, nec seruo à domino prohiberi fas est. Præterquam quòd obstaculum illud, à Iure Ciuili iniectum huiusmodi contractibus, qui alioquin ex natura vim habent, non impediēbat, ne inde oriretur obligatio, sed vt daretur partibus facultas eos accusandi, efficiendique vt à iudice irriti declararentur; at verò contractum matrimonij, naturę & Christi lege talem esse, vt si semel efficacitatem obtinet, numquam postmodum ea ipsi adimatur: neque meliùs aptari similitudinem desumptam ex varijs impedimentis, ab Ecclesia constitutis, siue ob cognationem corpoream, spiritualementem & ciuilem, siue ob aliam causam. Etenim in illis & semper habebatur ratio cuiusdam certę conditionis personarum, quibus fas non esset inter se contrahere, & exemplo Scripturę adhaerebatur; hęc verò absque exemplo irritum vniuersè sanciri matrimonium occultum inter cuiusvis generis personas, adeoque non materiam reddi ineptam, sed formam mutari.

Quod autem spectabat ad causam, eam satis non esse, etiam auctoritate positã tamquam certã ad probandam eam legem, quę irrita redderet ea coniugia, ob turpem in ipsis contrahendis modum: matrimonium enim duplicis finis gratiã contrahi, nimirum, ad conseruationem stirpis, & ad remedium incontinentiã; primum honestiorem esse, alterum magis necessarium, magisque commu-

nem; adeò vt S. Augustinus diceret, re ipsa matrimonium ab vllò non contrahi laudabiliter, nisi fragilitatem suam is pertimescat. Iam verò posse quidem optari, sed æquè sperari non posse, communem hominum incontinentiam ita coerceri posse, vt legitimæ nuptiæ expectentur: satius igitur videri, largum ac promptum adesse remedium, & ante occultos concubitus licere ipsis clandestino matrimonij vinculo se honestè constringere. Similiter existimare S. Augustinum in primo libro de matrimonijs adulterinis, magis expedire, baptismum homini adultero impertiri, tametsi non satis paratus ad eius vtilitatem recipendam videatur, quàm illo denegato ob irreuerentiæ metum, eum fortasse priuari fructu quem inde susciperet. Addidit, amplificari ab auctoribus oppositæ sententiæ illius damna, qui contracto priùs clam coniugio, ac dein altero palàm celebrato, cogebatur omnem vitam in adulterio ducere. Sed quò scelestorum damno subueniretur, libertatem omnium ac medicinam coarctandam non esse; incommodo iam dicto neque Christum neque Apostolum prospexisse: mirum igitur non videri, si non prospiceretur ab Ecclesia. Potius seuerissimis pœnis, & denuntiatis & inflictis, contra sacrilegam fraudem huiusmodi hominum agendum. Ceterà, nequitiam humanam adeò ingeniosam esse, vt nouerit se ab omnibus legum nexibus explicare, nec alio nisi timoris vinculo constringatur.

15 Magis adhuc improbari sibi Decretum, quò de filiis familias agebatur. Contra ius tum humanum tum diuinum id esse; atque idcirco vniuersè dici ab Apostolo: *Si se non continent, nubant*; non ab ipso dici, *nubant post talem aetatem*, neque, *nubant si genitores consenserint*; sed, *nubant*, absque exceptione. Non esse igitur ad annos aut ad permissionem restringendum hoc remedium, à Deo concessum humanæ cupidini, quæ malum quoddam est, quod vnusquisque ob verecundiam dissimulat; adeoque nemo illud nisi in se ipso cognoscit, & idcirco ab aliorum cura rarò ipsi remedium ad-mouetur. Ecquem inficiari posse, non extimulari parentum in-curiam ad filiorum matrimonia ab hoc metu coniugiorum minùs honestorum, à quo punguntur acriùs ad illis consulendum, quàm à reuerentia erga Deum, & à charitate paterna?

16 Constantinus Bonellus Episcopus Tiferni scriptum valdè prolixum attulit. In priore ipsius parte, post varias rationes sibi obiectas, comprobauit, Ecclesiæ fas esse eiusmodi connubia irrita facere, non quidem irritò reddito contractu, vnde is non esset amplius materia idonea Sacramenti, sicuti quidam differuerant: nam

1563. contractus coniugij inter fideles, non præcedit, imò nec distinguitur à Sacramento, adeoque facultatem perinde illius ac huius irriti efficiendi non esse in Ecclesia, sed posse ab ea irritum reddi assensum, qui antecedens causa est ipsius contractus. Tum eiusmodi potestatem irriti faciendi, assensus ratione haud satis firmâ, secundùm Theologiam explicauit; nimirum, induci per legem ab Ecclesia præsumptionem, quòd consensus reuera non fuerit, quemadmodum id præsumit, cum quis seruam vxorem ducit, liberam ratus, vt habetur ex cap. 2. & cap. ultimo *de coniug. seru.* in quo palàm fecit, eum, qui cum sola Canonum scientia, Theologicæ ratiocinationi haud associata, graditur per huiusmodi argumenta, similem planè esse homini pede vnico ambulanti, hoc est claudicanti, ac sæpè labenti.

Censuit præterea, non expedire vt ea à se concessa potestate 17
vteretur Ecclesia; id enim idem futurum, ac corrigere præteritas cunctas leges, quæ ad matrimonium contrahendum non nisi mutuum consensum exigebant. Numquam id ausam Ecclesiam, tametsi eadem incommoda cerneret; vt liquebat ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cuius Sanctio habetur in cap. *Cum inhibito. de clandest. spons.* Tam memorabili conuentui nec pietatem nec prudentiam defuisse; postea verò genus mortalium non fuisse mutatum. Afferri à quibusdam quamdam legem Euaristi Pontificis, relata in Can. *Aliter. 30. q. 5.* quasi idem ipse tentarit, sed textum illum communiter sic explicari à Canonum Consultis, vt eiusmodi connubia sint quidem haud legitima, hoc est, contra ritum Canoniarum iussionum, non tamen sint irrita; quod etiam censuit S. Augustinus, relatus Canone ultimo causæ 28. quæst. 1. Quòd si Euaristus *adulteria* seu *contubernia* appellauit, id intelligendum pro eo ac intelligebat Gratianus in Canone ultimo eiusdem quæstionis, quòd essent causæ adulteriorum & contuberniorum in secundis matrimonijs irritis, quibus ausam præbebant. Quin ab Ecclesia, quòd fraudes occultiq; concubitus euitarentur, statutas fuisse sanctiones oppositas ijs quæ tunc proponebantur, cum præsumeret, ab ipsa esse consensum coniugalem, vbi concubitus habetur post occulta sponsalia, adeoque tamquam matrimonium præsumeretur quòd interdum reuera matrimonium non erat, idque pariter ab illa effectum, præsumente, intelligendum esse nuntium remissum honestæ conditioni, à qua præcedens matrimonium suspendebatur, vbi contrahentes coeunt ante appositæ conditionis euentum: nunc è contrario agi de auferendo atque irrito faciendo 19
consen-

consensu, cum certum erat illum existere. Præterea, Decretum propositum absurdum esse, quia priuabat efficacitate coniugia, tamen si ita contracta ut legitime probari possent, cuiusmodi erant aut ante duos solos testes habita, aut scripto, contrahentium manu confecto.

18 Nec minus ex altera parte dehortatus est Patres, ne Decretum ederent ad filios spectans, tamquam oppositum Iuri diuino, cum in sacris Litteris habeatur: *Relinquet homo patrem & matrem, & adheret uxori sue.* & Paulus doceat: *Melius est nubere, quam vri.* Contra verò à Decreto cogi filium vsque ad certam ætatem, ne se à patre ac matre seiangat, ut adhæreat uxori: & relinqui in potestate parentum, ut filius ad id vsque temporis vratur. In Sacramentorum vsu locum non esse paternæ potestati, ut colligitur ex cap. *Cum causa. de Baptis.* imò nec heri dominio; & idcirco fas esse seruis matrimonium inire dominis dissentientibus, ut sancitur cap. primo *de coniug. seru.* Addidit, non raro euenire, ut matrimonium clandestinum nec prohiberi quidem, nec reprehendi mereatur, nedum irritum reddi. Primò, si filia, aiebat ille, impeditur à genitoribus ne contrahat in facie Ecclesiæ, & domi aut in monasterio detinetur. Secundò, si parentes diuites vetantur à Principibus, ne filias in matrimonio collocent absque ipsorum consensu; in quo euentu optimum remedium est, ad tyrannicam violentiam declinandam, ut puellis fas sit clam matrimonio iungi. Tertiò, cum quis per pollicitationem connubij puellam minoris conditionis clam pertrahit ad iacturam virginitatis; tunc enim Canones, sicuti antea dixerat, non solum voluerunt ratum esse connubium occultum, sed iidem ipsi Canones præsumunt, etiamsi aliunde non constet, cum hic modus sit vnicus tergendis familias à perpetua macula, & arcendi inimicitias & vltiones. Quarto loco, si matrimonium, quamuis careat ijs solemnibus ritibus, qui postulantur ne clandestini nomen habeat, ita tamen contraheretur, ut probatione non careret. Considerauit denique, non esse munus Ecclesiæ, per leges prospicere adulteris adeò occultis, ut nullum ipsorum vestigium exterius appareat, cum id omnino fieri nõ possit. Ponamus, aiebat, à quodam homine duas vxores subinde duci per ritus præscriptos, sed erga priorem interior illi assensus non adsit; certè id si contingat, prior contractus est irritus^b, & posterior ipsum obstringit: & tamen Ecclesia, interioris voluntatis nescia, illum hominem anathemate compellet ad posteriorem abiiciendam, & ad priorem sibi retinendam.

19 In eadem sententia fuit Sebastianus Vanzius Episcopus Vrbeuetanus, ac primò dixit, Mirari se, fuisse positum in Canone, & à

^b In Can. ultimo de clandest. de sponsatione, qui ex eo Concilio desumitur, dicitur solum: *Contrahentibus qui scilicet præsupserint, digna pena insumatur.*



1563.

nemine postea observatum, ab Ecclesia grauissimis pœnis clandestina matrimonia fuisse prius interdicta: fuisse solum ab ea simpliciter prohibita peccati denuntiatione per varios Canones, quos ille produxit, & etiam in Synodo Lateranensi. Etenim in Decreto ibi edito solum vetantur ne munus exerceant sacerdotes, qui huiusmodi connubia occultauerint, aut qui ausi fuerint ea conficere, tametsi adsit legitimum impedimentum. Ceterum statui quidem à Lateranensi, legitimam non esse progeniem, quoties huiusmodi coniugium propter impedimentum fuit inefficax, quamuis id genitores lateret, ita vt bona ipsorum fides ad arcendam à filiis maculam nihil prosit. Hinc pœnam non esse huiusmodi contractui impositam, sed subtractiones beneficij, ab Ecclesia impertiti illi homini, qui non neglexit diligenter prius adhibere præscriptas denuntiationes, quò impedimentum, si quod fortassis esset, temporaresciret. At verò vitium illud originis haud legitimæ merè procedere ab obice, qui vim abstulit matrimonio; ex quo, tametsi clandestino, dummodo fuisset efficax, legitima proles oriretur. Neque pariter verum esse, huiusmodi connubia fieri irrita à Iustiniani legibus, vti nonnemo pro certo posuerat. Quin ex aduerso illic prohiberi, ne vxor clam desponsata, vbi id probaret, à viro expelleretur; & adduxit *Authent. Quibus mod. nat. fi. eff. leg. §. ultim. versic. Quoniam autem interpellantibus. collat. 6.* Cum igitur ad eam vsque diem pœnæ temporariæ usurpatæ non fuissent, non illicò arborem succidendam; sed ex Christi documento adhuc modicum expectandum, tantisper dum ea excoleretur; quæ si postea infructuosa persisteret, tunc posset succidi. Verum in hoc etiam euentu nullà ratione suaderi, vt efficacia tribus testibus limitaretur, quandoquidem legitima probatio haberi poterat aut per duos, aut per scriptum; quæ secunda probatio adhuc longè-firmior ac certior est quàm probatio testium.

Postremò, non solum ambigere se de condecencia, sed de iurisdictione, an hæc esset in Ecclesia ad vniuersè irrita faciendâ eam matrimonia; non quidem ex eo quod complures obiecerant, non posse nimirum ab ipsa variari naturam Sacramenti, quod vinculum à quocumque insolubile inducat. aduersus quam rationem ita disseruit: Hoc vinculum omnino insolubile reperiri solum in matrimonio, per corporum copulam completo, quo significatur coniunctio tum Verbi cum humana natura, tum Christi cum Ecclesia. Sicut enim Verbum assumptam à se naturam numquam dimisit, neque Christus ab Ecclesia se vniquam seiunxit; ita neutri coniugum post

post corporum coniunctionem fas est ab altero se deiungere, & de quo intelligendum est diuinum effatum: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*; & Apostoli verba, *Matrimonium magnum Sacramentum est in Christo & Ecclesia*, vt obseruat Innocentius III. cap. *Ne debitum de big.* Profectò coniugium ante concubitum esse Sacramentum; sed tunc significari ab eo solam animæ coniunctionem cum Deo; quæ coniunctio solui posset; adeoque matrimonium in eò statu, cum suæ significationi conformetur, esse in quibusdam conditionibus dissolubile per vnius partis voluntatem, alterà etiam inuità, si videlicet alter coniugum velit Religiosorum Ordini nomen dare. Iam verò cum hæc facultas dissoluendi coniugij, nondum per copulam completi, priuilegium quoddam sit, coniugibus ab Ecclesiastico iure concessum, conficitur, arguebat ille, vinculum coniugale, antequam indissolubili modo per corporum coniunctionem connodetur, pendere à potestate Ecclesiæ, cui fas est & in certis quibusdam conditionibus illud relaxare, & etiam ea de causâ, rationi consentanea, legem ad id vniuersalem condere, vt colligebatur ex cap. *Ex publico*, secundùm celebrem doctrinam Glossæ, communiter comprobata, simulque ex Gozzadino *Consil. 2.* & copiosè à Socino *Consil. 28. lib. 1.* Hoc fundamento firmato, ab Ecclesia in re præsentî non modò per suam legem anteuerti coniunctionem corporum inter coniuges, sed ipsum etiam contractum, cuius ligamen, si fas est illi soluere postquam constrictum est, multò magis fas erit impedire ne constringatur.

21 Sed quamquam ille potestatem huiusmodi generatim in Ecclesia fateretur, dixit, In proposita quæstione sibi dubium esse, an sufficiens causa suppeteret ad huiusmodi Decretum vniuersale ac perpetuum sancendum, cum oporteret hanc pariter causam esse vniuersalem ac perpetuam, & illis adnexam, inter quos inducitur obex, prout obseruari poterat in cunctis impedimentis, quæ rem irritam faciunt, ab Ecclesia iam inductis. Contrà verò, si causa solùm temporalis est, aut potest esse & non esse inter eos, inter quos impedimentum statuitur, haud posse per eam vniuersè adimi efficacitatem ab actu, tamen si Ecclesia in suo interdicto vtatur Decreto derogante. Se hoc didicisse à Glossa cap. *Tua fraternitas. de sponsalibus duorum.* Et à Glossa vltima, cum Abbate Panormitano, in cap. *Ad dissoluendum. de sponsalibus impub.* inter eas, quæ appellabantur nouæ. Iam verò delicta & incommoda, quæ suadebant irrita esse reddenda matrimonia clandestina, non solùm non esse causam perpetuam & communem, sed in plerisque eam non inueniri; cum plu-

1563.

res hominū in huiusmodi coniugijs quietam ac tranquillam vitam agant. Non igitur id satis esse ad legem vniuersalem condendam.

Reiecit etiam partem alteram Decreti de filijs familias. Duo hic considerari posse, Paternam potestatem, & Officium debitum reuerentiæ; alteram priscis temporibus satis fuisse ad tollendam efficaciam huiusmodi connubijs, vt quæ tum filijs in sua corpora & bona potestatem adimebat: sed in lege Christiana id amplius non subsistere, vbi patris potestas non extenditur ad ea quæ pietas & Sacramenta sibi vendicant, sicuti nec etiam potestas domini; ac propterea non modò filijs, sed seruis licere coniugium contrahere, inuitis etiam parentibus ac dominis, vt habetur in cap. 1. *de coniug. seru.* & in cap. *Licet causam. de raptoribus.* Quoniam autem responsum ab aliquo fuerat ad hunc textum, ab alijs adductum, ipsum in integra epistola decretali non ita sonare, eundem ille produxit, qualis planè continebatur in secundo volumine Conciliorum inter decretales Alexandri III. c. 14. quod incipit, *Cum causa.* vbi adhuc amplius id exponebatur. Ob alteram causam, nimirum ob reuerentiam à filijs debitam parentibus ex obligatione naturali, reddi quidem minus decentia, non tamen irrita illorū matrimonia absque patris consensu; idque probari de filio emancipato, qui debet quidem parenti reuerentiam, filios decentem, & tamen licet ipsi vxorem ducere absque patris permissu, sicuti dicitur in lege, *Filius emancipatus. ff. de ritu nuptiarum,* coniuncta cum lege, *Vidue.* in Codice, sub eodem titulo: id etiam exemplo Esau ac Tobix confirmari. Finem dicendi fecit, adductis quibusdam verbis, quæ ipse aurea appellauit, Caroli V. in Decreto Augustano, quod habitum est anno 1548. relatum in volumine 4. Conciliorum cap. 21. de Sacramento matrimonij, & erant huiusmodi: *Quoniam potestas paternā cedit de iure huic coniunctioni inter coniuges, audiendi non sunt ij, qui nunc volunt vt dissoluantur matrimonia contracta à filijs familias, vbi non adsit assensus parentum. Nihil hic à nobis detrahatur obedientiæ filiorum debite patribus; sed nolumus vt patres abutantur potestate suā in præpediendis præcedendisve matrimonijs. Verumtamen quia censemus ad honestatem pertinere, ne filij matrimonia contrahant absque consilio & consensu parentum, admoneantur crebro à Concionatoribus huiusce ipsorum officij.*

Contrariè disputauit Consaluus de Mendoza Salmanticensis Aristoteles. Dixit: Cū homo sit animal politicum, par esse, cunctas ipsius actiones subijci politicæ potestati, vt ad bonum commune dirigantur: sic igitur matrimonium, quatenus est contractus merè civilis, sicut in ethnicis, subijci potestati politicæ; quatenus verò est Chri-

Christianorum contractus, ac proinde materia Sacramenti, subiace-
re potestati Ecclesiasticæ. Idcirco, quemadmodum propriorum bo-
norum alienatio, etiam secundum modos legitimos iuris naturalis,
redditur in quibusdam conditionibus irrita ab humanis legibus; ita
statui fas esse de potestate in propria corpora, ubi ea ita exercea-
tur, ut inferatur inde detrimentum Reipublicæ Christianæ. Hoc
detrimentum liquidò conspici in matrimonijs clandestinis, quan-
do ipsorum causâ tribunalia scatebant litibus, & Christianorum
genus offensionibus & delictis; atque humanam arrogantiam eò
deuenisse, ut nobiles probro sibi ducerent aliter quàm clandestinè
matrimonium contrahere, perinde ac si honorificum non esset,
nisi illicitum; ac propterea gliscente absurdo, cui medendo satis
non erant vetera interdicta, nouis efficacioribus opus esse.

24 Franciscus Zamorra, Minorum Obseruantium Præses supre-
mus, idem comprobauit, narrauitque, accepisse se per litteras no-
uæ Hispaniæ, nouellos illos Christianos, hoc velamine clandestini
coniugij obrectos, bis, ter & quater vxores ducere, & idcirco ro-
gari se, ut ipse remedium exposceret à Pontifice, de quo pariter
opem Regis imploratam fuisse.

25 In hanc sententiam non venit Didacus Lainius è Societate Iesu.
Ostendit primo loco, naturâ malum non esse coniugium clande-
stinum: ita contraxisse veteres parentes nostros, & in compluribus
conditionibus id tamquam licitum comprobari à moralis Theolo-
giæ magistris; quin, excepto detrimento aliquo (accidente interdum
ex re ab illa contractus forma) profectò nihil ea matrimonia re-
prehendi à S. Thoma in 4. sentent. art. 3. q. 27. Secundò, probare
studuit, numquam illa reddita fuisse irrita ab Ecclesiâ: nam à pro-
ducto Euaristi Decreto postulari eodem modo multa alia, connu-
bio minimè necessaria, & quæ credibile non erat ea fuisse ab illo
requisita, tamquam eius efficaciam intimè constituentia: apud
Tertullianum, Euaristo propinquum, legi, matrimonia occulta esse
firma: Euaristum intelligendum esse, velle matrimonium irritum
esse, ubi in ipsum non influxerit interior consensus, sicut in
huiusmodi coniunctionibus sæpè contingebat; quam interpreta-
tionem comprobauit verbis ad finem additis ab Euaristo: *Nisi pro-
pria voluntas accesserit*. Tertio affirmauit, sibi non videri profutu-
rum Decretum propositum, propterea quòd esset in parentum po-
testate filiorum coniugia multos annos impedire cum periculo plu-
rimæ impudiciæ. Monuit, nec ab hæreticis, nec apud complures
Catholicorum nationes Decretum acceptum iri; adeoque innu-
mera

1563.

mera illic adulteria secutura, ex quibus oriretur legitimæ successio-
nis peruersio. Causas ad hoc Decretum conficiendum allatas, in Ec-
clesia easdem semper perstitisse: præterea ab huiusmodi Decre-
to illud præstitum iri, quod Caluini doctrina iam effectum affirma-
bat. Denique in dubijs tutiorem esse culpæ ac reprehensionis eum,
qui nihil innouat. Nec reticuit, sibi valde incertum esse, an id ab Ec-
clesia effici posset; idque ob rationem quamdam ab alijs, qui antea
dixerant, expositam: non esse in Ecclesiæ iurisdictione variare Diui-
num ius, neque coarctare id quod ab Euangelio conceditur, cuius-
modi est matrimonium, ad incontinentiæ medelam ijs concessum,
qui aliter nequeunt castè viuere; idcirco, cum suæ quisque salutis con-
sulere debeat, facultatem Ecclesiæ non inesse ad impedienda ma-
trimonia siue ad certam ætatem, siue solemnibus ritibus additamento.

i Cuncta
constant ex
memoratis
litteris Legat.
& ex epistola
23. Augusti;
ex Actis Pa-
leotti, & ex
litt. scriptu-
risque Bor-
rom. 29. Jul.
& 12. Aug.
1563.

k Syngrapha
Vicecomitis
12. Augusti
1563.

l Acta Arcis
Æ. 12.

Ita per varias sententias disputatum vtrumque est: tum de prima
Decreti forma à vigesimaquarta vsque ad extremum Iulij, tum de
altera, ab vndecimo vsque ad decimum tertium Augusti diem, ad-
missis largiter ad Patres audiendos, præter Procuratores, compluri-
bus eximjs Theologis: quâ solerti diligentia postea effectum est, vt
& subtiliori studio tanta quæstio ageretur, & vt in Decreto pars
utilis rei propositæ seiungeretur à noxia; atque vt etiam pars ipsa
comprobata, per eam formam digereretur, quâ euitaretur magna
ex parte potissimum incommodum, expensum à Lainio (cuius
sententia scripto tradita, etiam antequam ab ipso proferretur, per
manus excurrerat, & complurium animos pertraxerat) incommo-
dum, inquam, quod euenturum videbatur in illis populis, qui
Concilij Constitutiones non exciperent. de quo infra.

Canon quoque paratus fuerat cum anathemate, in eum qui dis-
ceret, matrimonia consummata ob adulterium dissolui. Sed Ora-
tores Veneti, die vndecimo Augusti, cum ipsis posterior modulus
ostensus est, solemniter exposuerunt Conuentui, veterem Rem-
publicam semper coniunctissimam fuisse Apostolicæ Sedi, &
Concilij Oecumenicis, eius auctoritate celebratis, pioque semper
studio complexam ac veneratam Decreta Sanctionesque inde pro-
fecta, vtpote diuinam gloriam, animarum salutem, pacemque
Christianorum promouentia. Verùm ab eo, quod septimo Cano-
ne parabatur, nisi moderatione aliquâ reformaretur, inferri posse
non modicam offensionem Orientis Ecclesiæ, præsertim verò Ve-
netorum insulis, Cretæ, Cypro, Corcyræ, Zacyntho, Cephale-
niæ, & alijs multis, non solum cum publicæ quietis, sed cum Ec-
clesiæ Catholicæ detrimento. Compertum esse Patribus, tametsi
Græ.

Græca Ecclesia à Romana ex parte dissentiret, non tamen eò desperationis deuentum esse, vt meliora sperari non possent; præsertim eùm Græci in subiectis Reipublicæ locis degentes, quamuis ritu suo viuerent, tamen Præsulibus à Romano Pontifice assumptis obtemperarent. Eapropter tum rerum conuenientiâ, tum Oratorum munere se compelli, ne ipsi eos populos percuti sinerent eiusmodi anathemate, quo ad tumultum, integramque à Sede Apostolica secessionem prouocarentur. Satis constare, in more positum apud Græcos, vt vxorem adulteram deserant, & aliam ducant, veterrimam maiorum consuetudinem, vt ipsi dicunt, secuti; nec idcirco illos damnatos, aut anathemate percussos fuisse ab vlla Synodo Oecumenica, etiam si Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ huiusmodi mos liquidò innotuisset. Existimare igitur Oratores sui esse muneris, quàm efficacissimè possent, postulare, vt voces illæ Canonis admodò moderatè lenirentur, ne Græcis detrimentum inferrent, præsertim intentato anathemate; quod dubium non erat confici posse non solum nullâ partâ Ecclesiæ Catholicæ indignitate, sed fortasse retentâ plurimorum Doctorum reuerentiâ. Posse, quantum ipsi rebantur, & obtineri quod Synodus intendebat, & Reipublicæ satisfieri, Canone eiusmodi verbis conflato: *Anathema sit, si quis dixerit, sacrosanctam Romanam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, quæ mater & magistra aliarum est, errasse, aut errare, cùm docuit, & docet, propter adulterium alterius coniugum, matrimonium non posse dissolui; nec vtrumque, vel etiam innocentem coniugem, qui causam adulterio non dedit, debere nouum matrimonium contrahere, mæchari, eum, qui dimissâ adulterâ alteram duxerit, & eam, quæ dimisso adultero alij nupsierit.* Propterea rogari Patres ab Oratoribus, vt vel eâ, vel aliâ meliori ratione, pro ipsorum prudentissimo arbitratu, vellent in eo gratificari Serenissimæ Reipublicæ, quæ semper sacrosanctæ Sedi Apostolicæ obsecuta plenè fuerat, & erat obsecutura.

28 Hoc exemplar ab Oratoribus propositum, videbatur alicui ex ipsis, aut ex ipsorum Consiliarijs, notam hæresis haud iniustum opinioni contrariæ; sed vim dumtaxat habiturum ad infligendum anathema temerarijs in eo vituperatoribus Ecclesiæ, quæ optimis nixa fundamentis eam doctrinam, tamen non tamquam Fidei dogma, tradebat. Aliud fortasse ab alijs considerabatur; nimirum, per eam sanctionem non damnari tamquam hæreticam sententiam oppositam, nisi positâ Ecclesiæ auctoritate; & non quasi diuinis Litteris euidenter id repugnaret: adeoque parci digni-

1563. tati sancti Ambrosij, qui, ut ipsi arbitrabantur, id scriperat; & etiam Græcorum nomini, donec illis in comperto non esset, ab Ecclesia oppositum doceri; & donec eius auctoritati contumaciter iidem haud refragarentur: quamquam illi, quod spectat ad sanctum Ambrosium, allucinarentur; cum ignorarent quod postea recentium Scriptorum solertia animaduertit, videlicet, expositionem Epistolæ primæ ad Corinthios, quæ sancti Ambrosij nomen præferens, huiusmodi sententiam continet, reuera opus magistri tantâ pollentis auctoritate non esse, sed aut Remigij, ut Ioannes Maldonatus suspicatus est ^m, aut Hilarij Diaconi schismatici, ut multi censuerunt apud Philippum Labbeum ⁿ, aut incerti cuiuspiam scriptoris.

^m In S. Matt. c. 19. num. 9.
ⁿ De Script. Eccles. in Ambrosio, & in Hilario Diacono.
^o Syngrapha dicta Vicecomitis ad Borromæum 12. Augusti 1563.
^p Acta Paleotti, & litteræ Iadrensis 19. Aug. 1563.

Legati primo loco deleri iusserunt in Venetorum postulo ^o 19 verba quædam proposita, quibus pro ratione afferebatur, Græcos accitos ad Concilium non fuisse, sicuti Germanos & Gallos: quæ verba quasi in dubitationem reuocabant habitam cunctorum Fidelium conuocationem, perinde ac si ad id non sufficisset diploma conuocationis vniuersalis, solemnè, ut par erat, ritu promulgatum, cunctisque Christianorum nationibus manifestum. Postea cum super ea re sententiæ dicerentur ^p, Andreas Cuestæ, Episcopus Legionensis, postulatum reiecit, affirmans, ab Ecclesia non usurpari eam damnandi formulam: *Si quis dixerit, Ecclesiam errasse*. Hanc veritatem esse certam ac firmatam in Synodo Mileuitana cap. 13. in sexta Oecumenica, & in Florentina; adduxitque ex Patribus Græcis Clementem Alexandrinum, & Basilium: quod si quis ex alijs fortasse deerrauerat, contrarium opinatus, complures tamen eorum, qui adducebantur, alio sensu locutos fuisse; quod ille palam fecit, eorum dictis expensis. Et sanè creditum est, si Cuestæ locus loquendi inter primos obtigisset, sicut inter postremos debebatur in conuentu, tantum ab eo numerum asseclarum pertractum iri, quantus ad refellendam petitionem satis fuisset. Verùm re ipsa plura suffragia consenserant, ut Oratoribus satisfieret.

^q Postulatū Venetorum tale determinatè fuisse, ostendunt præter Acta Arcis Æliæ, ubi illud verbatim refertur, suffragia Patrum, contenta in Actis Paleotti, & exprimunt pariter Acta Salmanticensis Episcopi.

In quo Suauis duplici laborat vitio; primò, quia describit Venetos non quidem supra allatam vocum mutationem proponentes ^q, sed quasi mutationem quamdam in genere postulantes, quæ Græcis consuleretur. Hinc verò audacior, progreditur ad carpendum Concilium, quasi complexum mutationem æream, & vtilitatis effectusque vacuum, dum narrat, à plerisque non discerni quid inter priorem ac posteriorem formam interesset; rem tamen maiori Patrum

1563.

Patrum numero remissam. Sed non solùm reuerà discrimen inerat, quamuis subtilius; sed, etiamsi non inesset, conuenientius fuisset Reipublicæ satisfacere, eam mutationem petenti, vbi per eam merus sonus, non autem significatio variaretur: cum eò videatur inurbanior repulsa, quò minoris momenti censetur postulatio; sicut ex aduerso eò minus offendit repulsa, quò maius beneficium crederetur impetratio.

C A P V T V.

Antinorus à Pontifice missus Tridentum, & mandata illi tradita. Caesaris responsa ad Moronum de Synodi prolatione, à Lunensi quaesita; & ad Lotharingum, de negotio à se illi proposito, quod cum Pontifice agitarat: & eiusdem Caesaris litteræ ad suos Oratores, ut cum Lunensi consentirent in quibusdam capitibus; curarentque cum eodem, ne Constitutiones Laicorum Principum reformarentur, cum varijs eiusdem notationibus super iam paratis Decretis.

Non satis habuit Pius res per litteras significare, sed Ludouicum Antinorum Tridentum misit², qui voce pariter illas exprimeret. Hic Lotharingo acceptus, eiusque ingenium probè callens, eò venit simulatâ specie, vt Lotharingum Romanocomitaretur, Pontificis nomine, eundemque per viam honorificè excipiendum curaret, quòd spes erat ante præstitutum diem Sessionem habendam. Sed speciosus cortex solùm ad contegendum nucleum ostendebatur. Potissimùm itaque demandatum illi est, vt studeret Lotharingo callidè persuadere, ne abscederet à Synodo, nisi perfectam illam conspicaretur. Quoduis absentia suæ momentum posse causæ publicæ detrimentum afferre: eius accessum ad inuisendum Pontificem neque Pio gratiorem, neque sibi honestiorem futuram, quàm qui tanti operis absolutam confectionem Romam deferret.

² Iniunctum pariter est Antinoro, vt Legatis repeteret, quàm vehementer cuperet Pontifex exitum Synodi, dum complurium conuinctio siderum aspectu propitio rei fauebat, quorum aliqua nimis errantia. Valido gratoque honoris ligamine secum deuinctum Lotharingum retinerent: ne de Lunensi, Synodi absolutioni reluctante, rationem haberent, quando regij ministri Romæ, &

² Ex epistola Legatorum ad Borromæum 23. Augusti 1563.

